


TRIGONOMETRIÆ

48
ad I acutangulo, esto Angulus GIH 30. grad. reliquorum aggregatum erit 150. gr. eorumq; quilibet 75. grad. Semirecto omninò major.

VIII. In Triangulo Rectangulo Acutorum unus est alterius ad Angulum Rectum vel 90. grad. complementum.

IX. Æquicruri Trianguli cruribus productis ultra Basin, anguli sub Basi sunt æquales.

Triangulum ABC in apposito Schemate est Æquicrurum, ob latera AC & BC æqualia: unde & anguli CAB & CBA , lateribus æqualibus opposita æquales sunt. Si crura ultra basin AB producantur usq; ad D & E , fient alij duo anguli sub Basi BAD & ABE æquales sibi invicem. Sunt enim hi posteriores singuli priorum illorum singulorum ad duos Rectos complementa, per ea que Cap. IV. dicta sunt; Anguli autem, quorum hi complementa sunt, nimirum CAB & CBA ex hypothesis sunt æquales: ergo & complementa (illius BAD , hujus ABE) æqualia sunt.



X. Producto latere Trianguli quocunq; externus Angulus major est utrolibet internorum & oppositorum seorsim sumtis: ambobus verò simul sumtis æqualis.

In Triangulo ABC producaturs latus AB usq; ad D , ut fiat externus angulus CBD . Respectu hujus dicuntur anguli CAB & ACB interni & oppositi: ABC verò est & ipse angulus quidem internus est, non est tamen angulo CBD oppositus: sed eidem tantummodo adjacet. Illorum utrovis dicitur externus CBD major: utriq; autem æqualis. Quod nisi ad oculum ferme cuivis intuenti appareret: vel hinc

